

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

LXXV. Auditorum suorum mores, ingenia, studia, indolem, statum, conditionem
[et]c. sedulò exploret.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

LXXV.

Auditorum suorum mores, ingenia,
studia, indolem, statum, conditionem
&c. sedulò exploret.

Ἐξηγήσεις.

BONUS pastor nosse debet oves suas. Qui hor-
tos aut agellos habent, quos sub spe fructus
alicujus inde redituri excolant, primū soli na-
turā explorant, deinde eos ante fodiunt, sarri-
unt, arant, occant, quam conferunt: sic primū
omnium perspectos habere debent spirituales
agricolæ & hortulani universorum & singulo-
rum suæ fidei commissorū mores, affectus, in-
clinationes, vitæ genus, captum, indolem, con-
ditionem &c. sive naturam loci & hominum,
apud quos dicunt, ut doctrinas suas ad præsen-
tis auditorii mores & statum applicare possint.
Finis concionis Auditor est, eū ergò exactè co-
gnoscere tenetur Ecclesiæ Minister, κατ' τὰ πά-
θη, καὶ τὰς ἐξεις, καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς τύχας, se-
cundū affectus, & habitus, & ætates, & fortunas,
ut loquitur Aristoteles Lib. II. Rhetor. cap. 12.
Benè Carolus Regius Lib. IX. de Orat. Christian.
cap. I. pag. 381. *Ad prudentiam Concionatoris
pertinet, inquit, non solum seipsum ac vires suas
habe-*

habere perspectas, sed etiam auditorum mores & ingenia explorare sedulo & pro eorum modo, scq; suaq; omnia comparare, ut inde fructum percipere uberiores possint. Et Lib. VII. cap. 27. p. 328. seq. pluribus inculcat; Debere posse Concionatorem mores omnium aetatum, adolescentium, senum, virorum; omnium ordinum, Nobilium, divitum, pauperum, Magnatum, Principum, subditorum, Doctorum, Mercatorum, Militum, Artificum; diversorum statuum, Conjugatorum, parentum, filiorum, Dominorum, servorum &c. ut ad eos possit accommodare orationem suam. Sanè in persuadendo, corrigendo, objurgando, adhortando, consolando, eandem sermonis formam adhibere omnibus; quid aliud est, quàm quod dici solet, omni pedi eundem inducere calcem, aut cuius corpori eandem adhibere curam. Ludov. Carbo à Cossacijs in Orat. Divino Lib. IV cap. 14. inquit: *Ecclesia est tanquam Christi corpus, in quo varia sunt membra, certis locis collocata, ad certa munera obeunda; ex quorum ordinata multitudine unum quid perfectum constituitur. Universum hoc corpus, si concionator dicendo movere de regere debet; omnium profectò partium mores, vim atq; naturam, functionesq; cognita habere debebit. Ac proinde rerum humanarum*

non debet esse ignarus: ut omnes ad suos fines dirigere & idoneè in iis possit instituere, quæ pertinent ad religionem; quæ est veluti huius corporis anima. Accuratè sciat Pastor, an regnet in grege suo vel gula, vel luxuria, vel avaritia, vel iniustitia vel dissidium. An fidei sit aliqua infirmitas, an quidam calamitatibus aut tentationibus premantur & concutiantur; quæ prava exempla, qui noxii errores gliscant, aut grassentur in populo. An sint in coetu suo quidam Epicuri de grege porci, an ~~impii~~ & Verbi divini contemptores? Intentus esse debet in dicta & facta suorum auditorum, & videre, an sint verè conformia legi Dei, ac verè hypocritica. Id quod facile animadvertet, nihil enim simulatum potest esse diuturnum. Singulari studio attendat, quomodo quisque vitam suam componat, quâ ratione ipsi cum Collegis, cum agnatis, cum vicinis, aliisque conveniat; An errorum morbo laborent, an sano fidei doctrinæ intellectu, & huic conjunctâ fiduciâ destituantur. An fructum doctrinæ nullum edant, similes aut lapidosi, sterilibusque agellis, in quibus nihil bonæ frugis nascitur, aut arenosis, in quibus parum, aut spinosis, in quibus quicquid provenit, mundanis voluptatibus, curisque suffocatum exare-

exare-

exarescit. Ideo autem hæc omnia probe cognita habeat Concionator, ut maxime necessaria & utilis omnibus & singulis proferre possit; rudiores informare, errantes in viam reducere, pietatis ignaros erudire, pescatores corrigere & solatio indigos erigere. *Audienti mores Concionatorem ita observare decet, ut totam Orationem ipsis accommodare, & ad eorum ingenium & mores tum informandos & corrigendos, tum erigendos quasi admetiri conetur*, inquit Dn. D. Olearius Orat. Eccles. Lib. I. cap. 3 §. 10. pag. 93. Idem ait pag. 89. *Audientes presentes singulos, eorumq. statum, vitam, vicia, virtutes, desideria, defectus & intentionem quasi in speculo sibi propagere debet, qui publicè cum fructu docere cupit. Arbor vel binc collige, quam difficile sit Ecclesiæ hæc munus*; inquit Erasmus Lib. I. Ecclesiast. p. 687. Oper. T. V. Est enim, ut Apostolus loquitur, (Rom. I. 14) sapientibus & insipientibus debitor, imò pueris & puellis, juvenibus & juveniculis, viris & matronis, sanctis & aniculis, magistratibus & negotiatoribus, nautis & calceariis, militibus & agricolis, postremò lenonibus ac prostibulis, imò ac summis debitor est. *Qui pastor est ovium, unum modo genus animantis curat, cuius ingenium nosse non ita difficile est. Bubulcus facile discit armenti sui ingenium, quemadmodum & subulcus & opilio. Qui cu-*
rant